

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FLUXU COELIACO
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS, ET DIRECTORIS
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS
DOMINI DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM DOMINORUM
PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENT. UNIVERSITATE
HUNGARICA PUBLICO ERUDITORUM SCRUTINIO SUBMITTIT


PAULUS KÖVESY
HUNGARUS LOVASBERÉNYENSIS

Theses adnexae publice defenduntur in Palatio R. Sc. Uni-
versitatis maiori, die Augusti 1833.

BUDA E,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

„De Natura judicia exercentur optima, cum nec pugnaci, nec
„probabili orationi, aut disputationi maximae partes tribuuntur,
„sed Experientiae testimoniis evidentibus et coacervatis res con-
„ficitur.“

FR. BACONI DE VERULAM Impetus philosophici, Edit. Fran-
cofurt. ad Moenum 1665. colum. 730.



ADMODUM REVERENDO

D O M I N O

GEORGIO MAURER

DIOECESIS ALBA-REGALENSIS OPPIDI BITSKE

PAROCHIO.



V I R O
PIETATE, MANSVETUDINE; HUMANITATE,
ERUDITIONE INSIGNI.
BENEFACTORI SUO
HASCE LABOTUM SUORUM PRIMITIAS
DEDICAT

devinctissimus
AUCTOR.

Prooemium

Lege academica sancitum est, ut quisque medicinae lauream consequi optans, quodpiam medicum argumentum, quanta maxima posset, solertia et accuratatione elaboratum, emitteret. Ex immensa morborum, quae hominum generi incumbit, cohorte, aegritudinem seligere lubuit, antiquis confuse, recentioribus clare, non tamen usquequaque, descriptam, indole sua obscuram, signis peculiarem, longam, molestam, sordidam, pertinacem, diversis nominibus insignem, inter quae „fluxus coeliacus“ antiquissimum, usitatissimumque. Vetustis medicorum monumentis solerter inspectis et versatis, ad recentiorum praecipua opera accessi, ut sic ex indigesta veterum mole, aliis additis, detractis aliis, aliis mutatis imaginem morbi, quoad tenuibus viribus concessum, claram et distinctam delinearem, totumque quoddam, utilitatem forte paucis, at, quod plus est, voluntatem multis ad majora et meliora tentanda, adlaturum, effingerem. Quae de hoc morbo medicis omnis aevi observata, memo-

riaeque prodita sunt, naturae, lydio scientiae, artis-
que nostrae lapidi admovere, occasio, quod non sine
doloꝛe fatemur, deerat.

Magna et intricata est fluxuum ventris caterva! —
alter alterum comitatur, ciet, insequitur claudit; nec
raro omnia signa, symptomataque misceri, confundi-
que videas, ut ad quam speciem fluxus referendus, quo-
ve nomine insigniendus sit, dubius haereas. Sic saepe
natura ludibria sibi, miracula nobis et opprobria facit.
Hinc in medicorum fastis unum idemque ventris pro-
fluvium, sub diversis nominibus descriptum, toto con-
tra coelo diversa, pro uno eodemque venditata, facile
deprehendas. Clarum nobis hujus rei exemplar flu-
xus coeliacus praebet! a) Ex multis unum Aul.

a) *R. A. Vogel*: fluxus coeliacus genuina notio atque ra-
tio Göttingae 1768. — *J. B. Flies* Comment. de fl. coe-
liaco Halae 1791 — *Reils Fieberlehre* III, Bd. Halle
1800. §. 221. pag. 527. „Magna — circa morbi hujus
indolem, inter omnes contradictio est“ *J. P. Frank*
Epitome de cur. hom. morb. Lib 5. P. 2. pag. 459.

Corn. Celsum, immortale illud Latii decus, adduxisse suffecerit, qui scribit „sub morbo longo, „qui *κοιχιαχος* a Graecis nominatur, ventrem „indurescere, doloremque ejus esse, al- „vum nihil reddere, ac ne spiritum qui- dem transmittere; extremas partes fri- gescere, difficulter spiritum reddi, et in ipsius ventriculi porta consistere mor- bum.“ a) — — Longe alium morbum a Nostro de- scribi, in aprico est.

Pater omnis medicinae nullam morbi mentionem facere videtur. *Aretaeus Cappadox* b) *Coelius Aureli-*

a) De Medicina Lib. IV, Cap. XII, Edit. Waldeck. 1827. pag. 116.

b) *Aretaeus Cappadox*, De signis et causis dinturnis mor- borum. Lib. II. Cap. VII. Edit. Henr. Stephani sub titulo „*artis medicae Principes*“ An. 1567. pag. 43.

anus a) *Paulus Aeginetta*, b) *Alexander Trallianus* c) et eorum asseclae, inter quos famigeratissimus quondam Göttingensium Professor R. A. *Vogel* primas tenet, — hi omnes, inquam, morbum, de quo nobis sermo est, cum diversis Diarrhoeis confuderunt. Inter omnes fere convenire videas, alimenta non protinus, ut assumta sunt, imperfecta et cruda, quemadmodum in laevitate intestinorum seu *Lienteria* fit, sed ventriculi viribus tantisper subacta et soluta descendere. His praemissis ad morbi descriptionem accedimus, vestigia magnorum in arte nostra virorum G. A. *Richter*, Andr. *Lund*, Chr. *Reil*, J. P. *Frank*, S. G. *Vogel*, *Sachse*, quam maxime secuturi.

a) *Morbor. Chron. Lib. IV. Cap. III.*

b) *De re medica Lib. III. Cap. XL. Edit. Stephani. pag. 459.*

c) *Lib. VIII. Cap. V. Edit. Stephani. pag. 246. —*

Diversa morbi nomina.

Fluxus seu morbus coeliacus. Coeliaca. Passio vel Adfectio coeliaca. Fluor albus intestini recti (Richteri) Fluxus chylosus. Diarrhoea lactea vel chylosa. Passio ventriculosa. Chymochezia. Chylorrhoea. Chymorrhoea. Flux d' aliment. Flux coeliaque (Gall.). The Coeliack passion (Angl.). Schleimfluß, weißer Bauchfluß, Milchruhr, Schleimfluß des Mastdarms. (Germ.).

§. I.

Notio morbi.

Fluxus ventris longus, quo parca, pituitae mucoque similia, plerumque alba, non sine subitis torminibus et tenesmo (interdum gravi), alio, quam faex ipsa ex cibis coacta, tempore per alvum descendunt, coeliacus recentioribus dicitur. En morbi periphrasim!

§. II.

Symptomatologia et Diagnosis.

Desidendi cupiditas, tenesmus jam minor, jam major, interdum tam subita vehemensque, ut aegro nec opinanti et invito faeces elabantur. Plerumque dolor pungens in quadam abdominis plaga urget, qui sub stridore intestinalium, borborygmus vocant, deorsum properans tenesmum ciet ^{a)} qui nonnuquam

^{a)} Vide Encyclopaedisches Wörterbuch der med. Wissenschaften. 8. Bd. Berlin 1832. art. coel. flux. pag. 92 etsq.

extrema in album sequitur, tam atrox, ut spasmos graves, diu durantes, (in *Lundi* aegro per duas dies) excitet a) Aug. Gott. *Richter* scribit nunquam colicis doloribus aegros cruciari; b) Andr. *Lund* vero (cui unicum classicam observationem fluxus coeliaci in acceptis debemus) — ad dolentissimas generis humani aegritudines morbum nostrum refert. c) — Materia excreta interdum colorem alium, quam album, ostendit: flavicantem, griseum, virescentem, fuscum; nec crassitiei semper ejusdem est, ut jam pus, jam lympham aut lac coactum, jam oleum aut gelatinam simulet; nonnunquam sanguine mista, d) alias quaedam pilis aut tubulis similia continere videtur. e) Copia plerumque unam, alteramve unciam efficit. Dejectio plures dies, ter aut sexies, imo nonnunquam quovis horae dimidio sequitur, quodsi parcius est, aut per unam alteramve diem quievit, rursus majori impetu et cruciatu revertitur. Scire enim licet malum hoc remittere, quin intermittere non raro, idque sine manifesta causa, quod iam immortalis *Cappadox* memoriae prodidit. Faeces ex cibis residuas et coactas solito tempore, mane plerumque, f) meracas reddi, huic malo proprium est, non tamen perpetuum; nam interdum fieri, ut paulum ex alba, mucosaeque materia faecibus adjectum, aut cum iisdem in pulverem tenuem mistum sit, inter

-
- a) *Vogels* Handbuch der prakt. Arzneiwissenschaft. Stendal 1816. VI. Bd. pag. 89. §. 3. — C. G. *Schmalz*s Diagnostik. Wien. Aufl. 1830. n. 1806. pag. 207.
- b) *Spezielle Therapie*. IV. Bd. Wien. Aufl. 1830. pag. 115.
- c) *Acta Reg. Societ. Hauniensis*. Tom. IV. pag. 423. Sammlung außerlesener Abhandlungen zum Gebrauche prakt. Aerzte. 21. Bd. 2. Stuck. Leipzig 1804. pag. 3. — *Sachse* ait falso opinari *Lundium*; at non opinio est, verum experientia naturae iudicium! Quidni id in singulari casu accidere possit? Dolorem urentem, pungentem, tormina, colicam, sensilitatem abdominis majorem commemorat *Reil* oper. cit.
- d) *Reil* über die Erk. u. Cur des Fiebers. III. Bd. §. 221. pag. 526. S. G. *Vogels* Handbuch der prakt. Arz. VI. Th. Stendl. 1816. S. 88. — *Encycl. W.* pag. 93. — *Ar. Cappadox* Op. cit. Lib. 2. Cap. 7. pag. 45. Sanguinem merum ubi iam ad ultima ventum, reddi, auctor est *A. Trallianus* op. cit. Lib. 8. Cap. 5. — *Dictionnaire univers. de Med.* traduit de l'Anglois de Mr. James Tome 3. A Paris 1747. coel. pass. pag. 660.
- e) *Carl G. Schmalz*, Versuch einer med. chir. Diagnostik. Wien 1830. n. 1806. pag. 207.
- f) *Apud Andr. Lund*, a meridie op. cit.

caeteros, *Chr. Reilius* auctor est; — raro ntiq̄ue exemplo! Quin, quod maxime mirum videri potest, fieri interdum experiare, ut alvus, ni aptis remediis liquata, faeces veras haud reddat! *a)* Appetitus cibi multis nullus (cum apositia, quam vocant, seu fastidio), paucis bonus, digestionem quoque alimentorum sat laudabili. *b)* Tormina, flatus, cordis palpitationes, animi defectiones, iminuta urinae excretio, lacteus ejusdem color, tympanites, morbus arquatus, pedum tumor, boulimus, et quae his similia sunt, *c)* — *Sam. Gott Vogel* neque propria, neque perpetua esse ait. — Id malum interdum aegros trahit, interdum praecipitat, nam malum habitum seu cachexiam, hydropem, febriculam lentam, depascentem inducit, „aeger gracilis et emaciatus redditur, pallidus, iners, nihil ex negotiis usitatis valenter efficiens, inter ambulandum membra ejus labascunt, temporum venae exertae sunt —, os aridum, „superficies squallida, nihil sudans“. Summi Cappadocis verba sunt. —

Ex his facile signa flux. coeliacae diagnostica deduxeris. En illa! : 1) subita desidendi cupiditas, 2) Dejectio materiae albae mucosae, 3) Copia ejus parva (cochlear cibarium), 4) Tenesmus. 5) Faecum ex cibo residuarum separata excretio. *d)*

§. III.

Aetiologia.

Delincata morbi imagine consequi videtur, ut de causis ejusdem agam. Has medicis, inde a vetustissimis temporibus, in progumenas seu disponentes, et procatarticas seu occasionales (excitantes)

-
- a)* Encyclopaedisches Wörterbuch etc. etc.
b) *Reil* op. cit. pag. 526, — *Vogel* op. cit. pag. 526. — *Lunl* L. cit. pag. 3. — *Richter* op. cit. pag. 115. — *Sachse* op. cit. pag. 92.
c) *Aretacus Cappadox* scribit „ventriculum nonnunquam ut ab ardenti carbone peruri, alias tanquam a crystallo congelari.“ Op. cit. Edit. Stephani. pag. 43. — Etiam *Diction. universel de Médecine*. Tom. et pag. cit. — In recentioribus hoc symptoma non invenio.
d) *Vogels Handbuch*. §. 2. pag. 87.

diduci, notissimum est. Recentiores momenta causalia nominarunt. Quod his ponitur in corpore nostro causae proximae nomen habet, et est ipse morbus.

Causae proeguminae. Homines cachectici, mali habitus, pallidi, imbecilles, vitam umbratilem, sedentariam agentes, ubi intestinalis, hepatis, lienis, venae portae, et venarum, glandularumque lactearum vitiis adfecti, prae caeteris huic malo patent. a) Senes et mulieres malo magis subjectas esse *Aretaeus* memoriae prodidit. Eandem sortem infantibus aliqui dictant! Ast si consideres ex *Richteri* aegris, alterum octodecim, alterum quatuor et triginta, *Lundi* septem et viginti annos natum, *Vogelii* aegram porro fuisse quadragenariam, facile videas hoc assertum minime stare. Cell. *Rosenstein*, et post eum *Sachse* affirmat, frequentissime hoc malo infantes tentari, at *Sachse* etiam in senes septuagenario morbum viderit. b)

Causae procatarticae seu excitantes. Huc stimuli tubum cibarium sive idiopathice, sive sympathice impellentes, arrietantes! Vermes, praecipuis *Ascaridum* nomine notos, incolas intestini recti petulcos, multi condemnant; *Paederastiam* et *Onaniam*, vitia turpissima, multorum utique malorum turbulentos fontes, — *Veneris* effrenatas delicias; — irritationem intestini recti per abscessum — (*Isenflamm* memorabilem casum refert, ubi antequam abscessus rumperetur, facile quinquagesies intra viginti quatuor horarum spatium (nycthemeron) mucum vitreum (ut vocant), subruentum alvus reddiderit, nullo saecum verarum vestigio c) *Thilenius* et *Sachse* similes casus observaverint), — per haemorrhoides d) acrimo-

a) *Richter* opere cit. — *Vogels* Handbuch. §. 4. pag. 89. Reils Fieberlehre.

b) Encyclopaed. Wörterbuch der med. Wissenschaften. Bd. 8. pag. 92. —

c) Nov. Act. Nat. Cur. Tom. 5. 48. — Encyclop. Wörterbuch der med. Wissenschaft. v. *Busch*, *Graefe*, *Hufeland*, *Link*, *Rudolphi*. Berlin 1832. pag. 105.

d) Unus *Richteri* aeger ex *Onania*, alter ex stimulo haemorrh. in morbum incidit. — *Vogel* in suo casu rheumaticam fuisse autumat morbi naturam. — *Sachse*, *Richtero* onaniae frequentiam, morbi contra, de quo agimus raritatem obmovet. At cogitet velim, quidnam *Latinus Hippocratis* *Genius*, in divino suo ad medicinam prooemio dixerit?

niam — quae sese vel ab externis vel ab internis partibus ad tubum cibarium, ut Richter et post illum alii volunt, conjiceat — arthriticam, a) rheumaticam, scrophularum, impetiginum. Frequentia horum malorum, raritas contra coeliaci dubium forte tibi moveat? — At cogites velim, quod solum non movet, id junctum aliis maxime movere! — Vitia organorum ventris, causam, comites, sequelam, finem mali nostri agere possunt. Diarrhoeas diuturnas, Choleram, vehementes colicos dolores, Dysenteriam, Lienteriam seu laevitatem intestinorum Celsi, — causae procatarticae accusant auctores medici. Clysterum abusus, fortes et frequentes alvi purgationes, b) faeces durae, acres, flatus, quandoque mali nostri causae. Trahamus tandem sic dictum metaschematismum ad judicium! Magnus est inter membranas, quas Anatomici mucosas vocant, per omnia, quibus investiendis dicatae sunt, viscera, consensus, nec minus altae, quam necessariae indaginis. Suppressionem haemorrhoidum per catarrhum russicum. Influenza vocatum, observavit *Seligmann* anno 1782 c) Vidit *Clar. Sachse* infantem cui inde ab utero, continuus intra pectus stridor, strepitusque; tertio aetatis anno desinente per se pectoris malo, supervenisse alvum fluxam, qua quater, sexiesve intra diem mucus flavus, purissimus, sub ejulatu, anique prolapsu descenderit; ad faeces veras educendas, purgantibus (*Jalappa*) opus fuisse; cessante inuci per alvum excretionem, pectoris malum ingravescere solitum, *j alappa* que tandem et *mercurio dulci* penitus sublatum. d) Congestio sanguinis morbum fecisse visa! Casus Berolini

-
- a) Celebratissimus *Dreissig* notatu dignum casum narrat cujusdam foeminae, doloribus articulorum arthriticis quovis autumno per sex hebdomadas excruciarum solitae, quibus post animi motum (taedium et terrorem) tertia jam hebdomade silentibus fl. coel. confestim supervenerit. *Hufel. Journ. d. p. Heil. Bd. 60. p. 9. et 10.*
- b) *Vogels Handbuch pag. 96.*
- c) *De haemorrh. albis. §. 11. pag. 50. Etiam Encycl. Wörterb. pag. 106 n. 10.*
- d) *Ibidem pag. 107.*

in policlinico instituto *Hufelandi* ex suppressione menstruorum. a) Transitus causarum disponentium, si diu et vehementer agant, in excitantes, cuique rerum medicarum perito notus.

Causa proxima. Vel solum nomen magnam et vix superandam negotii, quod exequi animus est, difficultatem arguit. Hic remota videre, in proximis caecutire nostra sors est! Malum natura mirum et intricatum, ex multis et variis causis oriens, veteribus aliter, aliter recentioribus explicatum, utrisque argumenta ex sectae placitis, in cuius verba jurabant, et ex egestae materiae habitu petentibus. Ab antiquis orsi ad recentiores deveniemus. Aretaeus Cappadox verus, gravis, copiosusque morborum pictor, concoquentis caloris imbecillitatem, frigusque ventriculi accusabat. b) Magnus Hippocratis Commentator lienteriam, et coeliacam affectionem communia ventriculi et intestinorum vitia esse, scribit, atque ex eorum imbecillitate oriri, quia retinere contenta, ne exiguo quidem tempore possint, sed omnia subito execrnant, — sensusque quasi stercoris sit, uti urinae difficultas crebro hominem mingere cogit c) Ab eruditissimo Pergameno duos morbos, natura sua diversos, confundi, facile perspicias, Alex. Trallianus et Paulus Aegineta ejusdem cum Cappadoce sententiae erant. d) Eximius eruditissimi Sorani interpres, morbum ex genere mixtorum esse dicit, ubi fibra alia parte ad-

-
- a) Hufelands Journ. d. p. Heilk. 1811. 6 Stück Juni S. 19. — *Vogels Handbuch*. III. Cap. §. 8. pag. 96.
- b) Oper. cit. Edit. Stephani 1667. pag. 43.
- c) Galenus De loc. aff. L. 6. Cap. 2. Edit Charter. pag. 509. — Nicol. Lambsma. Ventris flux. mult. ex aut. et recent. monum. prop. Edit nov. Francof. et Lips. 1792. Cap. 2 p. 90 etc.
- d) Op. cit. Edit. Stephani. „Quum duplex sit intestinorum laevis, altera ob superficialiam intestinorum ulcerationem, vel (ut aliqui sentiunt) ob cicatricem ex Dysenteria plerumque, aut ex aliis fluxionibus obortam: altera ob facultatis cibum in ventre retinentis debilitatem secundam differentiam arbitror cum coel. affect. copulandam esse. *Aeginetas* verba, Debilitatem proin sine vitio organico!

stricta, alia laxa sit. *a*) Joan. *Fernelius*, cum aliis plurimis, veterum vestigia pressit. *b*) Omnes fere horum asseclae existimabant verum chylum — cujus absorptio ob nimiam debilitatem (atoniam), vasa et glandulas lacteas obstructas, tubum intestinale tenaci, spissoque muco oblitum, cicatricibus obsessum — cujus, inquam, absorptio et in penetralia corporis receptio, his obicibus prohiberetur, — protinus ex corpore reddi; hinc corpus non ali, vires, materiamque consumi, maciem summam letumque sequi. *c*) Erasmus *Darwin*, poeta ille physiologicus, absorberi succum lacteum nequaquam negat, receptum vero, non obstantibus valvulis, in imo ventre, motu retrogrado iterum effundi. *d*) At remittens interdum, quin intermittens mali indoles (quae obstructis vasis lacteis locum habere nequeat); — nulla fluxus coeliaci indicia apud infantes turpi scrophularum labe contaminatos, tabidosque, (ubi vasa et glandulas lacteas fabrica et textura vitiatas esse, quis negaverit?); appetitus cibi non raro bonus, digestioque laudabilis; longa mali nonnunquam, sine tahe, duratio; foecum ex cibo coactarum. sveto tempore exeretio — haec et his similia argumenta al celebratissimo R. A. *Vogel*, aliisque obmota, supra positum commentum plene convellere videntur. *c*) — Mirum, quam saepe acuti et prompti sumus ad aliorum asserta refutanda et infringenda, in substituendis vero pronunciandisque melioribus vacillamus, labimur — sorte communi! Hypothesis hypothesesin trudit! Sic laudatus *Vogel*

-
- a*) Coel. *Aurelianus* Morb. chron. Lib. IV. Cap. III. Diction. univers. de Médecin traduit de L'anglois de Mr James. T. 3. Art. Coel. passio.
- b*) Univ. medicam Pathol. Libr. 6. cap. 10. — Dan. *Sennertii* Med. Pract. libr. 3. p. 2. Cap. 5. Edit. Venet. 1641. pag. 601. — *Ballonius* Epid. et Ephem. Libr. 2. pag. 218. — Fr. *Sylvius* Praxeos Libr. 1. Cap. 16. — Theoph. *Boneti* sepulchretum seu Anat. pract. Libr. III. Sect. X. observ. 1. Schol. obs. 2. IV—V. Edit. Genev. 1679. Tom. 2. p. 828.
- c*) *Flies* Commentat. cit. *Richter's* speciell. Therap. Tom. IV. pag. 115—116. — *Reil* op. cit. pag. 527.
- d*) Zoonomie oder Gesetze des organischen Lebens, aus dem englischn. 2. Th. 1. Abtheil. pag. 294.
- e*) Praelection. de cognosc. et curand. corp. hum. affect. *Lau-*
sannae Tom. I. 1788. §. 333. pag. 257. Etiam cit. Dissertat.

saniora propositurus, docebat fluxum coeliacum cachexiae speciem esse, cujus fons sedesque aut tota humorum corporis nostri moles, aut solus tubus cibarius, cum organis vicinis. *Richter* et *Reil* opinionem hanc minus fundatam esse putant; at si causas utriusque generis attente pensites, facile, ut valde fallor, videas huic opinioni quidpiam veri inesse, nec ad commenta, quae dies delere solet, pertinere. — Nec cell. G. *Selle* jugum veteris commentum excutere poterat, morbo obstructionem, ut vocant, hepatis subesse ratus, quare chylus ob penuriam bilis, effoetamve ejusdem indolem, male parceque ex chymo elicitus, nec rite tinctus, per alvum dejiceretur. a) At materia ejecta muco similis est; faeces verae consveto tempore, et debite coloratae excernuntur; signa obstructum hepatis, et peccantem bilis secretionem indicantia, communiter desunt; vitia haec frequentia, morbus noster rarus, etc. etc. Haec immortalis *Richter*. — *Moebius* et *Moellenbrok* fatiscentem, solutamque pinguedinem, b) *Ballonius* et *Petrus Forestus*, classicarum observationum et curationum scriptor, mucum, catarrhali aut rheumatica acrimonia prolicitum, alvo reddi docuerant. Immortalis *J. P. Frank*, labi pulmonum pituitosae medorrhoeae tum anni tum uteri insonti, vel magis forsitan diabete — persimilem esse fluxum coeliacum, et tabem puriformem, lutulentam tubi intestinalis, constituere putat — Fluxui proin coeliaco, secretionem morbosam specificam, ab illa quae diabete inducit, non longe diversam, nec tamen ideo hac ipsa magis intellectam, sublata opinatur. c) Vir scientia et arte insignis *G. A. Richter*, dicit esse topicam intestini recti, chronicam et pertinacem blennorrhoeam; ejectam materiam esse mucum puriformem, aemulum illi, quem nasus, organa respiratio-

a) Medic. clin. pag. 508. — *Richter* op. cit. pag. 116. —

b) Epist. ad Sachse in *Ephem. Nat. Cur.* Dec. I. An. 2. Observ. XX. — *Encycl. Woert.* etc. pag. 91 et 95.

c) *Epit. de cur. hom. morb.* Libr. V. Part. II pag. 461 et 675. et seqq. — Vide quid *Vogel* op. cit. Cap. 3. par. 591. —

nis, urethra, vagina, non absimili morbo correpta, egerere solent; eum per membranam intestini recti mucosam, et glandulas muciparas ibidem ubertim disseminatas, inflammatione probabilius chronica affectas secerni; comitem cohaerentiam non causam, sed effectum mali principis esse; materiam albam faecibus non contaminatam, sub ternesuo, nullis colicis doloribus, ejectam, nec non talem procatartearum causarum naturam, ut intestinum rectum impellant, arrietent, sicque vitalem fibrarum ejus virtutem infringant, pro veritate opinionis suae loqui; accomodatissimum nomen *Fluor albus intestini recti!* a) *Chr. Reil*, magnus quondam Physiologus et Medicus, mali naturam eandem affirmat, sedem vero tam aetis cancellis non claudit, dicens „eine chronische und hartnäckige Blenorrhöe des Darmkanals, mit dem Character des Typhus und der Lähmung — —“ ejusdem naturae blenorrhoeas etiam in aliis organis mucosis incidere; mucum etiam alibi diversae crassitici, coloris, et indolis excerni; alias quoque blenorrhoeas typo remittente, intermittente, periodicoque laudare. b) — Cur non idem in fluxu coeliaco? Haec Sententia assensum, plaususque plurimorum medicorum tulit. Sed scire licet iam Nicolaum *Lambsma* egregium, solertissimumque compilatorem, docuisse „interiorem tunicam ventriculi atque intestinorum, ejusdem ferme indolis esse, ac illam, quae cum naribus, fauces et stomachum ambit — atque non multum a gravedine distans malum pati, — ubi pituita ex villis, folliculisve — copiosius prorumpat, ac venter mucosa reddat.“ c) Sic saepe in vetustis monumentis reperias, quod tamquam novum et inauditum jactatur! — Eques de *Wedekind* in-

a) J. G. H. *Uthof*. Dissert. de morb. coel. ejusque gen. not. Gött. 1787. Richters med. chir. Bemerk. Bd. 1. pag. 70 — 75. *Œpzielle Zber.* Tom. 4. pag. 127. Edit. cit.

b) Fieberlehre III. Bd. §. cit. pag. 530. — Etiam *Vogel* putat malum interdum per totum canal. cibar. extendi posse. op. cit. pag. 96.

c) Ventris fluxus multiplex. Cap III Edit. cit. pag. 95. et sqq. „Sunt alvi profluvia quasi sudores intestinorum — fitque quasi inversa perspiratio — Quantum enim perspiratio in detrahitur, tantum alvo accedit.“ Cap. 4. pag. 98.

flammationem pancreatis condemnat, quin tamen, exclusis penitus omnibus aliis causis, pancreas semper solum in reatu squalere jubeat. Ipse Auctor vacillat, hallucinatur! — *Sachse* latiore quam *Richter*, angustiore quam *Reil* malo sedem, fontemque adsignat, totum videlicet intestinum crassum; nec semper (ut *Reil* vult) astheniam subesse, quin interdum phlegmonosum quiddam cum congectione, quod ajunt, passiva (*Curt. Sprengel*); fibras longas (ligmenta, seu crura coli) solito irritabiliores esse, circulares contra torpere, et hinc tenesimum materineque albae mucosae expulsionem, penes faecum retentionem, explicari posse; in cadaveribus glandularum mucipararum tumorem frequentissime reperiuntur a) — *S. G. Vogel* adynamiam erethisticam accusat. — Ex *Richteri*, *Reillii Vogel*, et *Sachse* de natura et sede mali opinionibus, unam, quae vero proxima videatur, effingere facili negotio possis.

§. IV.

Praesagium.

Malum hoc aegros interdum diu trahere, interdum praecipitare, jam supra innuimus. Id curatione initio adhibita facile tolli, postea vero difficilius; ubi vero inveteraverit, tarde removeri. *Trallianus* auctor est. b) Si materia alba, paucis per diem vicibus, dejicitur, si mucosa, crassa, mitis est, si tenesimus minus vehemens, appetitus cibi bonus, habitus aegri alias laudabilis, si mali remittens, intermittensve indoles, tum curationem facilius recipit, et non raro per longum spatium, quin aegros jugulet, durare potest. Si omnia his contraria sunt, tum scire licet tabem, tristi comitatu, serius ocyus comparituram. In prognosi recte statuenda causarum utriusque generis, aetatis, sexus, temperamentum, et quae alia sunt, rationem habendam esse, quisque rerum medicarum gnarus noverit. „Longissimum et difficulter curabile vi-

a) *Encycl. Wörter. d. n. Wissenschaften.* Tom. cit. pag. 97, etc.

— *Wagler* de morbo mucoso epidemico pag. 289 — 292.

b) *Op. cit.* Edit. *Stephani* pag. 247.

tium esse, saepe sine manifesta causa desinere, iterumque, vel ex levi errore invadere, jam Arctaeus memoriae prodidit. Joan. P. Frank majora ei, quam ipsi lienteriae, discrimina attribuit, ac maxime senibus perniciem intentare. a) Richter, Lund, Vogel, Hufeland aegros suos brevi sanarunt. — Joan. P. Frank rusticum ticiennensem, et senem sexagenarium Vindobonensem, duobus annis hoc malo conflictatos, eodem modo integrae sanitati restituit, comitem vero mediolanensem liberare non potuit. b) — Ubi jam ad ultima ventum est, aegri quavis hora, imo frequentius tenesmo, desidendi cupiditate urgentur, somnum difficilem aut vix ullum habent, animi defectionibus, inflationibusque ventris vexantur, anima iis foetet, tenuia, foetidissima, aquae, in qua recens caro lota est, similia per alvum descendunt, febricula, cruciatibusque et vi et frequentia ad extremum halitum incrementibus. Scire etiam licet facile id malum redire; et sive cum frigus subit, sive error in cibo, sive aliqua jactatio vehementior, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.

§. V.

Therapia.

Mederi oportet, propria et communia intuentem! — Causarum utriusque generis rationem habere necesse est: luxuriam omnigenam, onaniam, aliaque foeda vitia fugere; cibos digestu faciles, mucum non contrahentes, potus stimulantibus vitare; infestos intestinorum hospites, faeces duras acres, quisquillas mucosas, flatusque suo modo compescere, liquare, expellere; obstructions viscerum abdominalium movere, solvere; rheumatismum, arthritidem, scrophulas, verbo cachexiam quaecunque curare, mitigare tollere; impetigines praepostero consilio repressas, ad nativum solum pellicere; aberrans cruent

a) Epitome de cur. hom. morbis. Libr. cit. pag. 479.

b) Apud hunc morbus per annos duraverat, saepe per octo, imo quindecim dies, aegro cibos adpetente, intermittere solitus libro cit. pag. 460.

tributi flumen ad suos cogere alveos; fibrae debili laxae robur addere, et quae alia sunt.

Aug. G. *Richter* fluxum coeliacum ex acri haemorrhoidali ortum, comitibus tantis vesicae turbis, ut cum calculoso rem tibi esse putasses, — floribus sulphuris, adjectis aloë et myrrha sanavit. Si nulla acrimoniae alicujus suspicio, tum atoniae intestini recti summam curam habendam esse *Richter* docet. Malum ex Onania natum Decocto ligni Campechiani laudatus auctor sustulit, et etiam contra morbum recidivum, nihil proficientibus aliis amaris remediis, utiliter adhibuit a) *Andr. Lund* cortice chinae et clysteribus ex aqua frigida, cui laudanum Sydenhami et extractum lithargyri adjecta erant, aegrum ad sanitatem perduxit. S. G. *Vogel* radicem arnicae, specificum illud *Stollii* antidysentericum, felici successu ad dimidiam drachm. 3—4 per nycthemeron adhibuit, clysteribus ex cortice quereus symbolam suam conferentibus. — In Clinico *Hufelandi* aqua calcis cum opio profuisse visa. Cl. *Sachse* dicit alvum apud infantes ventre turgidos, inflatos nequaquam praeproperè comprimendam; ventrem iis saepe mucii inertis, qui instar picis parietibus intestinorum adhaereat, sentinam esse, hanc igitur liquari et purgari, et tum primum summam debilitatis et atoniae curam haberi oportere; se purgantibus valentioribus aegros ascite, anasarea tabe circumventos ad sanitatem perduxisse, *Reilii* igitur effatum „purgantia potissimum nocere“ arctis cancellis circumscribendum b) In gravi tenesmo infusum herbae linariae adhibere alienum non est. Cel. *Berends* in eodem malo parvas *Belladonnae* doses, acidum hydrocyanicum vegetabile, et extractum nucis vomicae aquosum prodessè dicit. c)

Si hactenus praecepta parum proficient, magnusque torpor intestinorum est, tum pulveres *Cubebaram*, aliaque aromatica, ex quibus pleraque veteribus jam commendata, ut *piper*, *cinnamomum*, *nucem mo-*

a) Seine med. chirurg. Bemerk. Bd. I. pag. 72.

b) Encycl. Wörterbuch d. m. Wissenschaft. Tom. cit. pag. 108.

c) Vorlesungen. Bd. 7. pag. 102.

schatam', caryophyllos, et quae his similia sunt, adhibere alienum non est. *Chr. Reil.* magnas horum remedium portiones commode fecisse, auctor est. a) Videndum tamen, ne nimium irritando inflammationem fœnestam provocet, et sic malum malo addas. b) *Dreissig* radicem Galangae, Zingiberis, Calami aromatici, et, si alvus compressa non est, Cascariablae, inter omnia vero gallarum Decoctum cui camphora, aut si haec non est, oleum anthos, cum liquore anodyno, adjectum sit, commodissimum esse. *Sachs* ratanhiam, quin ipsum plumbum, si alia non proficiunt. Si alvus, ut fieri quandoque supra posuimus, compressa est, oleum Ricini, Electuarium lenitivum, et ubi major luxitas torporque est, pilulae aperientes *Stahlii*, *Jalappa* etc. commode adhibentur.

Aretaeus Cappadox vomitum ex radiculis; tum valentissimam purgationem veratri radice, ut etiam *Hippocrati* in laevitate intestinorum visum est, opportune adhiberi, cum aliis Veteribus, memoriae prodidit. c) *Paulus Aegineta* ea quae urinam movent, si id consecuta sunt, in aliam partem humorem avertendo, prodesse d)

Quales clysteres *Richter*, *Lund*, *Vogel* et *Hufeland* adhibuerint, supra commemoravimus. Si malum nimium pervicax est, etiam mixturam ex vitrioli Zinci granis sedecim, 3 unc. aquae et una uncia mucil. tragacanthae, cui unum granum extracti opii adjectum sit, in alvum subter dedisse prodest. *Richter* unum granum mercurii sublimati corrosivi, in duabus unciis aquae calcis svadet. Caute, leniterque instrumentum admoveri, et liquidum parvis portionibus, ut facilius retineatur, impelli oportet. Aqua, in qua herbae emollientes decoctae sint, oleum blandum ex inferioribus partibus inditum, ad tenesimum mitigandum plurimum valet. Oportet demum *Epithemata* diversi generis, calida, reprimentia, adstringentia, acria ventri imponere, non raro tamdiu, donec rubeat et ar-

a) Fieberlehre Tom. cit. pag. 339.

b) Hufelands Journal 1828. 2 St. pag. 115.

c) De curat. diut. morbor. Libr. 2. Cap. 7. pag. 94. Edit. cit.

d) De re medica Edit. cit. pag. 460.

rodatur; perfricari ter aut quater die; ad balneum calidum ire; in cuti ulcera excitare; vestimenta crassiora induere; gestari, navigare, declamare, noctu somnum capere, saepe etiam interdum in lecto conquiescere; cibis uti tenuibus, neque infantibus, neque duris, ne intestina adhuc imbecilla laedantur; et, si fieri potest, talibus quae ventrem contrahant; vino non multo, meraco, aqua martiali „Frigidam autem assidue potionem esse debere (in ventris fluxu) contra priores auctores *Asclepiades* affirmavit; et quidem quam frigidissimam. Ego experimentis quemque, inquit *Celsus*, in se credere debere existimo, frigida, an calida utatur“ —

Rationem quoque animi, mentisque habendam esse, cuique psychologo medico me nec monente facile patet. Quis miram summamque corporis et animae familiaritatem, necessitudinem, quis mutuam servitutem et imperium ignorat? Quem veri nominis medicum latet, quid animus, mensque cum ad servandam, tum ad restituendam, sic ubi labascit, corporis salutem conferat? — Effato. Pathologorum praeteriti saeculi principis „animo plus nullam posse in universa rerum natura virtutem“ — assensum Iubens praebeas! a)

“


“

a) D. *Gaubius*. De regimine mentis quod medicorum est. Sermo Acad. II. pag. 110. Edit. Argentorat. 1776.

T h e s e s .

1. Febris certorum potius morborum umbra quam ipse morbus est. (Frank)
2. Autocratia naturae princeps in morbis remedium.
3. Fluxus coeliacus blenorhoea intestini crassi est.
4. Crises seu iudicia morborum, nostro aevo rarae.
5. In crisis instituendis, natura certarum dierum nequaquam serva.
6. Opii agendi ratio alia, quam spiritnosorum est.
7. Nequaquam ubi sensilitas, ibi nervus.
8. Magnum Chemiae in reliquas naturae scientias, nostro aevo imperium.
9. In Extractione Cataractae, sectio eorae inferiora versus potior.
10. Diathesis gastrica, et biliosa sidere ardente solennis.
11. Fungi e Serie esculentorum eliminandi.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



1. The first part of the report deals with the general situation of the country and the progress of the work during the year.

2. The second part contains a detailed account of the work done in each of the departments during the year.

3. The third part gives a summary of the results of the work done during the year.

4. The fourth part contains a list of the names of the persons who have been employed during the year.

5. The fifth part contains a list of the names of the persons who have been elected to the various offices during the year.

6. The sixth part contains a list of the names of the persons who have been elected to the various offices during the year.

7. The seventh part contains a list of the names of the persons who have been elected to the various offices during the year.

8. The eighth part contains a list of the names of the persons who have been elected to the various offices during the year.

9. The ninth part contains a list of the names of the persons who have been elected to the various offices during the year.

10. The tenth part contains a list of the names of the persons who have been elected to the various offices during the year.